



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Imago saeculi XVII. ad annum huius saeculi X. producta**

**Neuhusii Paderbornae, 1710**

Annus 1618.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29436**

mis potens, & criminationibus oneratus, dum jussu Regis comprehendendus in aditu palatii armis resistit, à satellitibus occiditur. Corpus occisi à vili plebeculâ exhumatum & fædè laceratum demum flammis cessit. Sublato sic Concino mox arma fœderati posuêre. veniam à Rege precati; sic regno tranquillitas restituta. Edicto publico ejusdem Regis jussa est in provincia Bearnensi libertas Religionis Catholicæ, & restitutio bonorum Ecclesiasticorum ante annos 50. ereptorum.

Turcæ cum Tartaris deprædantur Poloniam.

Moritur Achmetes Turcarum Imperator 5. Novembr. cui in Imperio succedit filius Osmanes.

Mense Septembri ex violenta dierum plurium pluvia obruitur inundatione Catalaunia. Hausta aquis multa oppida, pagi, vici, submersa insuper aliquot hominum millia.

Instituta Romæ congregatio Fratrum Joannis Dei ad suscipiendos & fovendos pauperes infirmos.

*ANNUS 1618.*

**V**isus mense Novembri Cometa horribilis, belli diuturni, & publicarum

calamitatum in Germania funestus prodromus.

Mense Majo horrendum tumultuati Prægæ sectarii concitatores præcipuo Henrico Matthæo Comite Turriano factiosorum Principe. Guilielmus Slabata supremus Prætor, & Jaroslaus Borsita Martinizius Carlstadii Burggravius cum Philippo Fabricio Cæsaris Consiliario, & in Regno Bohemiæ Secretario ex arcis fenestra in subjectam fossam per spatium circiter 50 cubitorum (vita tamen Deo protegente incolu- mi) præcipitati, multi ministrorum regio- rum in vincula coniecti, & fortunis spoliati, arx Carolosteinia, ubi diadema Regum, thesaurus & privilegia regni solent asserva- ri, occupata, graves collectæ provinciis in- dictæ, PP. Soc. Jesu primùm ex urbe, tum ex toto regno, inani obtentu, quasi abolen- dorum privilegiorum authores fuissent, ex- turbati. Moravi, Silesii, & Lusatii ad eandem defectionem sollicitati, ipsum etiam regnũ inter alios venale propositum Emmanueli Allobrogum Duci pretio sesqui millionis aureorum, quater mille peditum, mille equitum, quos suis stipendiis lectos mitteret auxilio, aleretque triennio. Repressi tamen  
utcu-

utcumque conatus nefarii rebellium à Comite Bucquoio, & Comite Tampierio Lotharingo Ducib<sup>9</sup> exercitûs Cæsarei recepto Crumlovio, Pilgramio, aliisque locis. *Annal. Boici.*

Mense Julio in Comitibus Posonii Ferdinandus coronatur Hungariæ Rex.

Mense Junio pax constituta inter Hispanum & Sabaudum restitutis Vercellis, quas anno superiore occupârat Gubernator Mediolani, locisque aliis utrinque captis.

Mense Aprili Rex Galliarum semotis quorumvis oppositionibus PP. Soc. Jesu ad lectiones publicas Parisiis habendas decreto admittit, impetratque à Pontifice, ut festum S. Ludovici Regis celebretur 25 Augusti per totam Galliam de præcepto. *Ricciolus.*

In Rhætorum sive Grisonum montanâ regione apud Clavenam mons cum oppido Pluravio terræ lapsu subsidit, confepulto cû omnibus incolis oppido 4 Septembris.

Venetiis ob suspicionem conjurationis in urbem à Duce Ossunæ Pro-Rege Neapolitano concinnatæ multi Galli, nec pauci Hispani supplicio affecti.

Maximilianus Archidux Austriæ concedit fatis ineunte mense Novembri.

Comes Fürstenbergius legatus à Ferdinando petit à Rege Galliaë auxilia contra Bohemos.

*ANNUS 1619.*

**M**atthias Imperator Ernestum Comitē Mansfeldium Nothum alterū factionum Bohemorum Principem ob occupatam Pilsnam, & alia in Imperium commissa proscribit edicto 19 Februarii; & Martii die 20 moritur, Princeps de re Catholicā optimè meritus.

Turrianus & Mansfeldius mensibus Aprilis & Majo in Bohemia omnia cædibus, rapinis & incendiis vastant: Catholicos, præsertim Ecclesiasticos in exilium ejiciunt, Cardinalem Dietrichsteinium spoliatum rebus omnibus in custodia detinent.

Ferdinandus Rex Ungariæ & Bohemiæ Francofurti ad Mœnum, adnitentibus præcipuè Schwicardo Moguntino, Ferdinando Coloniensi, & Lothario Trevirensi Electoribus Ecclesiasticis, nec dissentientibus sæcularibus Palatino, Saxone, Brandenburgico, qui aderant per legatos, 28 Augusti proclamatur Augustus, & 9. Septembris Imperii insignibus inauguratur.

In Bohemia à Rebellibus abdicato Ferdinando

dinando